

ROOB FRUCTUS ROSÆ CANINÆ.

℞. Pulpæ fructuum Rosæ caninæ maturarum libras tres.

Sacchari albi libras duas.

Leni igne ad consistentiam debitam evapora.

ROOB SAMBUCI.

℞. Succis e baccis Sambuci nigræ maturis expressi et defæcati libras sex.

Sacchari albi libram unam.

Coque leni igne in balneo aquæ ad debitam consistentiam.

VIRTUS : Leniter alvum et urinam movet.

SYRUP I.

A. SYRUP I EX SUCCIS VEGETABILIVM
parati.

SYRUPUS ACIDI ACETICI.

SYN. *Syrupus aceti.*

℞. Acidi acetici diluti (seu Aceti albi vulgo venalis optimi) libras duas.

Sacchari albi libras tres cum dimidia.

Misce et leni igne coquendo fiat syrupus.

SYRUPUS ACIDI CITRICI.

SYN. *Syrupus acetositatis Citri s. Syrupus
è succo citri.*

℞. Acidi Citrici diluti (id est succi fructus
Citri medicæ maturi recentis expres-
sione obtenti et defæcati) libras duas.

Sacchari albi pulv. libras tres cum di-
midia.

Solvatur saccharum ut fiat syrupus.

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS COMPOSITUS.

℞. Herbæ Cochleariæ officinalis libras octo.

—— Lepidii sativi,

—— Sysimbrium-Nasturtii ana libras
quinque.

Radici Cochleariæ-Armoraciæ libras
decem.

Corticis Laurus-Cinnamomi pulv. un-
cias sex.

Fructus Citrus - Aurantii maturi cum
cortice concisi libram unam.

Vini albi libras decem.

Immitte in cucurbitam et destilla leni
igne libras quinque, quibus adde

Sacchari albi pulv. libras decem.

Ut fiat balneo aquæ Syrupus.

Massam in cucurbita remanentem for-
titer prelo exprime; liquori expresso et co-
lato adde

Aquæ libras decem.

Sacchari albi pulv. libras viginti.

Coque leniter ad syrupi consistentiam;
dein clarificatum syrupum adde syrupo præ-
cedenti.

Vel simplicius:

SYRUPUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS.

℞. Succi Cochleariæ compositi recenter ex-
pressi et defæcati libras duas.

Syrupi simplicis (vel Syrupi Cinnamomi)
libras tres.

Misce.

Usus utriusque : Scorbutus ; physconia hepatis et lienis.

SYRUPUS BALSAMICUS.

℞. Tincturæ Balsami Toluiferæ balsamicæ
unciam unam.

Syrupi simplicis libras duas.

Syrupo recenter parato et ab igne remoto,
cum pene refrixerit, immitte paulatim tincturam, assidue agitando.

SYRUPUS CERASORUM.

℞. Succī e Cerasis nigris acidulis cum nucleis contusis expressi uncias sedecim.

Sacchari albi pulv. uncias viginti octo.

Misce ut fiat syrupus.

Eodem modo paratur :

SYRUPUS fructus Berberis vulgaris.

————— ————— Mori nigræ.

————— ————— Ribes rubri.

————— ————— Rubi idæi.

NB. Hi syrui etiam parari possunt, ex Roob supra dictis, addendo sacchari portionem necessariam.

SYRUPUS CINNAMOMI.

℞. Tincturæ corticis Laurus-cinnamomi unciam unam.

Syrui simplicis libram unam.

Misce assidue movendo.

SYRUPUS ERYSIMI.

℞. Succum ex Erysimi officinali recenti expressi et defæcati,

Syrui simplicis (vel mellis) ana partes æquales.

Misce.

Usus : Raucedo catarrhalis.

SYRUPUS FLORUM CITRUS-AURANTII.

℞. Aquæ florum Citrus-Aurantii uncias decem.

Sacchari albi libram unam semis.

Misce ut fiat syrupus.

SYRUPUS RHAMNI CATHARTICI.

SYN. *Syrupus de Spina Cervina.*

℞. Succi baccarum Rhamni cathartici defæcati libras septem cum dimidia.

Sacchari albi libras tres cum dimidia.

Coque leni igne ut fiat syrupus, cui pro re nata adde,

Alcoholis fructus Myrtus-Pimentæ libram unam.

VIRTUS : Cathartica.

SYRUPUS RUBI IDÆI ACETATUS.

℞. Fructus Rubi idæi maturi libram unam.
Aceti albi optimi libras duas.

Macera in vase vitreo per 20 aut 30 dies ;
dein cola cum expressione, et adde

Sacchari albi pulv. libras tres cum dimidia.

Leni igne coque ad consistentiam syrupi.

SYRUPUS SACCHARI.

Succus Arundinis, Saccharum officinale dictæ, simplici decoctione et despu-

matione inspissatus, flavescens, particulis mucilaginosi aliisque heterogeneis scatens, Mel arundinaceum PLINII et GALENI hodie *Saccharum* commune audit. Hoc repetita decoctione, clarificatione, et evaporatione inspissatum *Saccharum album* seu *Canariense* appellatur, et pars liquida quæ coire negat, *Syrupus sacchari* vel *Syrupus communis* (G. *Mélasse*. A. *Treacle*) vocatur. *Saccharum* repetita decoctione, depuratione et evaporatione in crystallos coactum *Saccharum candum* dicitur.

SYRUPUS SEDATIVUS s. HYPNOTICUS.

SYN. *Syrupus opiat*. Ph. B. *Syrupus diacodii*.

℞. Extracti opii grana viginti quinque.

Vini Malacensis unciam unam.

Solutioni admisce

Syrupi simplicis uncias viginti quatuor.

NB. Uncia una hujus syrupi continet granum unum opii.

SYRUPUS SIMPLEX.

℞. Sacchari albi pulv. libras duas.
Aquæ puræ libram unam.
Misce frigide et in vase probe clauso
usui serva.

SYRUPUS SCILLITICUS.

℞. Aceti Scillitici libram semis.
Syrupi Cinnamomi,
—— Zingiberis ana libram unam.
Misce assidue movendo.

Usus idem ac Oxymellis scillitici, sed gratior; præcipue pro ægris qui mel ferre non possunt.

Dosis : Drachmæ duæ — quatuor.

B. SYRUPUS INFUSIONE VEL DECOCTIONE
parati.

SYRUPUS ALTHÆÆ.

℞. Radicis Althææ officinalis concisæ uncias novem.
Aquæ fervidæ libras decem.
Coque ad libras quinque; dein valide

exprimendo cola, et liquori per subsidentiam depurato adde

Sacchari albi libras quatuor.

Coque leni igne ut fiat syrupus.

SYRUPUS AMYGDALINUS.

℞. Amygdalarum dulcium libras duas cum dimidia.

———— amararum libram unam.

Aquæ libras novem et uncias quatuor.

Fructibus decorticatis, aquam gradatim affunde trititando ut fiat emulsio, in qua leniter calefacta dissolve

Sacchari albi libras octodecim et uncias octo.

Dein frigefactis adde

Aquæ florum Citrus-aurantii uncias octo.

Syrupum in vasis probe clausis usui serva.

NB. Hæc Emulsionis species in Gallia vulgo sub nomine : *Sirop d'Orgeat*, venalis prostat. Portio ejus aqua diluta emulsionem gratam extemporaneam constituit.

SYRUPUS CORTICIS CITRUS-
AURANTII.

℞. Corticis exterioris flavi fructus Citrus-
aurantii recentis uncias sex.

Aquæ fervidæ libras tres.

Macera per biduum vel triduum leni
calore; dein expresso et colato liquori adde

Sacchari albi libras quatuor.

Ut unica ebullitione fiat syrupus.

SYRUPUS PAPAVERIS SOM-
NIFERI.

℞. Capsularum seminalium Papaveris som-
niferi, exemptis seminibus, siccata-
rum et concisarum libras duas.

Aquæ fervidæ libras triginta.

Macera per duodecim horas; dein coque
leni igne ad libras decem. Liquorem valide
expressum cola, et denuo coque ad dimi-
dium; dein iterum cola eique adde

Sacchari albi libras quatuor.

Coque leniter ut fiat syrupus.

SYRUPUS RHEI ALCALISATUS.

℞. Radicis Rhei palmati concisæ uncias tres.
Corticis Laurus-Cinnamomi drachmas
tres.

Carbonatis potassæ liquidi drachmas duas.

Affunde

Aquæ fervidæ libras duas.

Digere per duodecim horas et colaturæ
unciarum viginti adde

Sacchari albi libras tres.

Ut fiat syrupus.

VIRTUS : Cathartica ; antacida.

USUS egregius præcipue pro infantibus in
morbis ex acido primarum viarum.

SYRUPUS SARSAPARILLÆ
COMPOSITUS.

G. Sirop de CUISINIER.

℞. Decocti Smilax-Sarsaparillæ concentrati
libras duodecim.

Syrupi simplicis,

Mellis puri ana libras duas.

Coque leni igne ad syrupi consistentiam.

Addendo pro re nata.
Muriatis hydrargyri oxygenati grana
quatuor — sex.

Divide massam in novem portiones
æquales.

Dosis : Portio una (unciarum sex) quo-
tidie, dividenda in partes tres, quarum
una mane, altera meridie et tertia vesperi
sumatur.

Si ARUNDO-PHRAGMITES cum Sarsa-
parilla decoquitur, huicque decocto dein
additur eodem modo saccharum et mel,
obtinetur Syrupus seu *Roob antisymphiliti-*
cum dictum.

SYRUPUS ZINGIBERIS.

℞. Radicis Amomum-Zingiberis incisæ et
contusæ uncias tres.

Aquæ fervidæ libras quatuor.

Macera per viginti quatuor horas vase
clauso leni calore digerendo ; dein cola et
liquori, postquam pars crassior subsederit,
decantato adde

Sacchari albi libras septem cum dimidia.

Ut fiat syrupus.